

11. Nautarum: hinc Divos Noëmum, & Nicolaum, inde eosdem cum Beatissima Virgine.
12. Bajulorum: hinc D. Augustinum cum D. Thoma Aquinate.
13. Chirurgorum: hinc D. Bartholomæum; inde Samaritanum Evangelicum.
14. Restiariorum: hinc Deiparam Virginem; inde D. Augustinum.
15. Pileonum: hinc D. Partheno-Martyrem Barbaram; inde D. Turonensium Præsulem Martinum.
16. Figulorum: hinc D. Florianum; inde D. Sebastianum.
17. Textorum: hinc DEI Filium; inde Sanctissimam DEI Matrem.
18. Fiscellariorum: hinc S. Dorotheam; inde D. Gregorium.
19. Mellicratariorum: hinc Matrem misericordiae; inde D. Mediolanensium Præsulem Ambrosium.
20. Farinariorum: hinc DEI Genitricem; inde D. Claram.
21. Pabulariorum: hinc Nativitatem Dominicam; inde S. Agnetem.
22. Molitorum: hinc DEI Matrem; inde D. Nicolaum.
23. Pistorum: hinc DEI Matrem cum Divo Nicolao Tolentino; inde D. Augustinum.
24. Pectinariorum, & Cribrariorum: hinc D. Mariam Magdalenam; inde S. Daniele Prophetam.
25. Aciculariorum: hinc effigiem SS. Trinitatis; inde S. DEI Matrem MARIAM.
26. Sartorum: Divum Michaëlem Archangelum.
27. Lanionum: hinc 4. Evangelistas cum Agno Apocalyptico; inde Abrahamum immolantem Isaac.
28. Linteariorum: Sanctissimam DEI Matrem Virginem.
29. Campanulariorum, & Fabrorum Stannariorum sine vexillo.
30. Alutariorum D. Catharinam.
31. Marsupiariorum, & Manicariorum: hinc Sanctissimam Trinitatem; inde lachrymantem Virginem Böttschianam cum D. Udalrico.
32. Coriariorum: hinc Beatissimam Virginem; inde D. Proto-Martyrem Stephanum.
33. Ehippiariorum: hinc D. Georgium; inde D. Augustinum.
34. Lorariorum: hinc D. Gentium Doctorem Paulum; inde ejusdem Conversionem.
35. Samiariorum: hinc D. Barbaram; inde Davidem de Goliatho triumphantem.
36. Vietorum: D. Urbanum.
37. Pileatorum: D. Apostolorum Principem Petrum.
38. Pomariorum: hinc D. Annam; inde Sanctissimæ Annæ Filiam.
39. Topiariorum: hinc Proto-Parentes nostros Adamum & Evam; inde Christum sub Hortulani specie D. Mariæ Magdalenæ comparentem.
40. Olitorum: hinc SS. Trinitatem; inde D. Martham.
41. Sutorum: hinc DEI Matrem; inde Divum Austriæ Marchionem Leopoldum.
42. Fabrorum ferrariorum D. Ludovicum utraque ex parte.
43. Segmentariorum: hinc Deiparam Virginem cum D. Joanne Baptista; inde D. Paulum.
44. Reticulorum tibialium: hinc Jesum Pastorem; inde Familiam Christi.
45. Subactorum Coriariorum: hinc D. Michaëlem; inde D. Bartholomæum.
46. Distillatorum: hinc Beatissimam Virginem Auxiliatricem; inde D. Florianum.
47. Zythopæorum: hinc D. Virginem Auxiliatricem; inde D. Florianum.
48. Pellionum: hinc DEI Matrem; inde Sanctum Rochum.
49. Vitriariorum; hinc Deum Patrem; inde S. Lucam.
50. Aurifabrorum: sine vexillo, sed præferuntur iis aurati bini calices cum pateris in decoratis perticis.

Præter hos, quos suis attribuimus tribus, alii adhuc sunt in Civitate ista sive Typographiam, sive Pictoriam, Statuariam, Sculpturiam, sive Architecturam civilem & militarem, sive alias artes desideres, Artifices quam plurimi, quos, ne longum nimis texamus Catalogum, consulto prætermisimus, cum constet in una hac Urbe tot diversarum artium posse reperiri peritissimos Magistros, quot artes sunt excogitabiles, ut vel in hac gloria nulli quantumvis celeberrimæ per Orbem Civitati Viennam palmam concedere cum veritate fateri possimus.

TITULUS XI.

Gazophylacium Cæsaris, aliæque pretiosa.

Opes, quæ felicitatis humanæ pars sunt maxima, in una hac Urbe, & amplas esse, & pretiosas liquet; metiri eas, qui appetit, incolarum multitudinem, mercimoniorum frequentiam, census amplissimos, vestiga-

lia opulenta, privatorum stipendia, quæstus, munia, & sumptuosum vivendi genus perpendat; quæ cum in comperto sint omnibus, ipsum Augustissimi Cæsaris Gazophylacium hinc referre placuit, in quo uno, quod aut rarum à pretio,

tio, aut decorum ab elegantia, aut ab arte, vel natura commendatum vidit orbis, brevi veluti compendio conclusum reperies. Pro inquilino hoc tam pretioso destinatum in Aula Cæsaris amplissimum & elegans ejus habitaculum, longitudine passuum duorum, & sexaginta, latitudine septem: hic ordine decore, mole excelsâ complures exquisiti operis visuntur cistæ; suo omnes thesauro ditatæ, cujus singula recensere cimelia cum pagellæ præsentis non sustineant angustia, ea hic solum commemorare sufficiat, quæ vel materiæ, vel artis præstantiâ cæteris digniora spectantium oculos in sui rapiunt admirationem.

Ab auro metallorum pretiosissimo initium sumimus, quo hoc in Gazophylacio, & copiosa, & elegans est supellex, præ cæteris tamen memoranda videntur. Primò statua aurea Imperatoris Turcici equo insidentis, binis stipati famulis, staturæ notabilis. Secundò aurea Rudolphi II. Romanorum Imperatoris Campanula. Tertiò Catena aurea oblonga, latæque diversas Austriacorum Archiducum effigies ad modernum usque Augustissimum Romanorum Imperatorem Leopoldum Achatii incisas referens. Quartò pelvis aurea cum Malluvio aureo à Carinthiæ Ducatu dono oblata, è qua Neo-Nati Austriæ Archi-Duces Baptismali undâ lustrantur. Quintò Horologium aureum Crystallo pellucidâ obductum, quod pretio æquari nequit. Sextò Corona Domestica Imperatoria adamantibus, Saphyris, gemmisque majoribus distincta, cum Sceptro ex unicornu elaborato, in cujus supremitate saphyrus, ovi adæquans magnitudinem, visitur: pomum item Imperiale gemmis prægrandibus pretiosum, quæ tria septingentis Imperialium millibus Rudolphus secundus Pragæ fieri fecit. Alia item Corona Imperialis cum cruce, adamantibus, Saphyris, gemmisque pretiosa, pariformis illi, quæ Norinbergæ asservatur, hac Ferdinandus III. primus coronatus est. Septimò Corona Regni Bohemiæ cum sceptro, & pomo. Octavò alia Corona Regalis à Turcarum Imperatore perduelli cuidam transmissa, & superiori bello Turcico ab eodem in prælio obtenta. Nonò Fritillus aureus suis cum calculis, lapidibus pretiosis distinctis. 10. Latrunculorum lusus ex auro obryzo librarum 27. 11. Chartifoliorum lusus ex auro musivo cum aureo numismate, viginti duorum millium ducatorum. 12. Racemus aureus in Tokayensibus superioris Hungariæ vineis repertus. 13. Lamina aurea prægrandis arte chymica è metallo; alia item auri massa è plumbo transformata. 14. Pocula aurea multiformia, è quibus aliqua movente nemine raro artificio in mensis susque deque gyranur. Postremum variæ pelves aureæ, & si quæ alia hujus generis supellex.

Ab aureo ad argenteum deflectimus apparatus, de quo id unum in Gazophylacio hoc dixisse sufficiat, eum Cæsare dignum, & tantæ non impari esse Majestati, pauca idcirco adferam, eaque cæteris digniora. 1. Navis argen-

tea inaurata interno rotularum motu suis cum vectoribus progrediens. 2. Globus Cœlestis. 3. Bacchus curru vectus hirco insidens. 4. Strophium argenteum labore Indico subtilissimis incisuris cælatum. 5. Bini contexti ex argento calathi, quibus præstat paris operis quadrata sportula, ab Augustissima Imperatrice defuncta ex Hispaniis adducta, structuræ tam elegantis, ut ars sola septem coronatorum argenteorum millia mereatur. 6. Caroli audacis ultimi Burgundiæ Ducis statua argentea genu innixa, alia item Philippi pulchri Hispaniarum Regis statua argentea vivi staturam æquans. 7. Fritillus argenteus; taceo horologia artis exquisitissimæ, eaque multifaria, lances, scyphos, phiales, pocula, aliúmque copiosissimum è metallo tam pretioso apparatus,

Unionum, Margaritarum, gemmarúmque tantus hic decor est, & pretium, ut quidquid natura ex his Orbi pretiosum protulit, huc intulisse videatur. Visitur hic præ cæteris Achaties candidus, cui ternæ Romanorum Cæsarum effigies incisæ. 2. Onyx, cui insculpta Alexandri Magni effigies, duodenis imperialium millibus æstimatus. 3. Caput ex Achate cælatum quod è Sinis ad nos translatum millionum aliquot pretium ibidem habuisse dicitur. 4. Phiala ex Achate & Jaspide miro naturæ fœdere adunatis. 5. Alia ex Onyche phiala ampla, & capax auro vestita. 6. Malluviolum Achatinum à Leopoldo Cæsare decem imperialium millibus coemptum. 7. Phiala Amathystina. 8. Phialæ binæ, unaque capaxior è granato orientali cælata. 9. Amphora vasta, cum phiala ex fardonyche. 10. Lapis Lazari. 11. Major phiala è lapide Neghritico. 12. Serenissimorum Austriæ Archiducum Insignia cum Aquila Imperiali è lapidibus pretiosis vivis coloribus efformata. 13. Concha manûs magnitudinem explens, exterius Achatina, interius Amathystina. 14. Poculum prægrande è Topazio Bohemico. 15. Phiala ex Adamante Hungarico ovi anserini magnitudinem æquans. 16. Scyphus è Topazio orientali floribus è margaritis diversis distinctus. 17. Latrunculorum lusus è lapidibus pretiosis thecæ argenteæ inclusus. 18. Varia è Crystallo pocula, phialæ, lances, statux, naves, quæ inter eminent Scyphus Crystallinus capax in conum assurgens ulnarum duarum altitudine, ab Hieronymo de Miseron elaboratus, in ternas fistulas, è quibus quælibet poculum exhibet; hic scyphus convolvitur, una tamen, & indivisa ex materia efformatus, viginti Imperialium millibus æstimatur. 19. Hydria Crystallina ab Augustissima Imperatrice ex Hispaniis allata. 20. Adamas Orientalis quadratus Oeniponto allatus viginti Imperialium millium valore pretiosus. 21. Alius prior major Adamas, gemmis, pyropis, auroque vestitus. 22. Adamas Bohemicus magnitudine nucis regie majoris, formam habens Orientalis illius Adamantis celeberrimi, qui Florentinæ asservatur, Augustissimæ Imperatrici ex Hispaniis oblatus. 23. Gemma nucis myrrh-

sticæ magnitudine sexaginta imperialium millibus æstimata. 24. Ornatus ex Adamantibus in frondes speciosissimas elaboratus, centum imperialium millibus æquiparandus. 25. Scutum pavonem è Smaragdis exhibens. 26. Flores varii è pyropis, adamantibusque confecti. 27. Pyropi aliquot in quadrum concisi imperialis magnitudine. 28. Patina achatina, cui non artis sed naturæ solertiâ inscriptum legitur *Beato Christo*. 29. Langenula è Smaragdo Orientali basi triplici innixa nullo pretio satis æquanda; par huic cimelium apud Monarcharum Orbis neminem reperiri dicitur, magnitudinem Smaragdi hujus commemorat Lambecius in Bibliotheca Augusti Cæsaris. Paris magnitudinis bini alii pretiosi lapides hic asservantur, quivis quadraginta Imperialium millium pretium sibi vendicat. 30. Urceus è Chrysolito, auro vestitus. 31. Frameæ Turcicæ, aliæque arma, ephippia, equorumque ornatus copiosus adamantibus, auro, gemmisque distinctus. 32. Fritillus corallinus. 33. Latruncolorum lusus è Coralliis Turcicis. 34. Cista mundo muliebri pretioso, Turcicisque muneribus referta. 35. Topazius prægrandis. 36. Tabula pretiosa adamantibus, gemmis, floribusque distincta ab Augustissima Imperatrice vidua elaborata. 37. Bezoar Occidentale, & Orientale. 38. Magnes miræ molis anchoram prægrandem sustinens. 39. Hyacinthus Austriacorum insignis cum majori littera *L.* non arte, sed naturâ Magistrâ referens. 40. Linea Margaritharum, quarum quælibet avellanæ nucis magnitudinem adæquat.

Ad ea nunc quæ exquisita magis artificum elaboravit industria, devenimus, quæ cum ferè sint innumera, digniora subnectimus. 1. Varia, miræque artis è succino, ebore, cornu Rhinocerotis, unicornu opere Toreutico elaborata hic visuntur pocula, Scyphi, lances, & si quæ alia hujus generis est supellex. 2. Triemis ampla eburnea omni apparatu navali instructa. 3. Cantharus eburneus, cui Paradisus Orbis cum animantibus omnibus insculptus. Accedunt his Cantharus minor eburneus ab Augustissimo nostro Imperante, & major alter à Gloriosissimæ memoriæ Ferdinando III., tertius item à Serenissimo Archiduce Sigismundo Oenipontano rarâ dexteritate torno elaborati. 4. Sphæra præcella uno è continuo efformata cum icone minuta, cui alia superinducta visitur. 5. Pyxidula rotunda cui ab Alberto Dürer omnium artium peritissimo artifice tam affabrè incisa Salvatoris mundi Nativitas, ut triginta imperialium millium pretio æquiparetur. 6. Tabella Divorum Innocentium eadem cælato opere expressam referens. 7. Justiniani Imperatoris effigies in Concha expressa imperialium 5. millium. 8. Horologium insidente Baccho in formam doli figuratum, alterum item in equum efformatum, inequitante sua cum pharëtra Cupidine, tertium in globum circinatum, quartum testudinis, quintum cancri figuram imitatur, utrumque interno rotarum

motu lento passu progrediens. 9. Mensulæ scriptoriæ multimodæ variis exquisitissimorum artificum cælaturis exornatæ. 10. Maximiliani Imperatoris dimidiata statura lignea argenteo inclusa loculo ad manûs altitudinem assurgens, cujus antèrius capillitium Augustissimæ consortis suæ capillos exhibet. 11. Draco ingens rotis quatuor vectus. 12. Horologium in cruce Crystallina elaboratum. 13. Imperatoris Justiniani equo insidentis statua ex ære fusa. 14. Juditha Holofernem obruncans, Chirurgus item cauterium inurens, pugna tota ad S. Gotthardum opere ceroplastico vivis lineamentis efformata. 15. Basiliscus incorruptus vitro inclusus. 16. Culter spitamalis à Bohemo Rustico 1602. Pragæ in potu absorptus, tandem post novem mensium intervallum lateri Rustici excisus, Rustico per annos aliquot superstitè. 17. Cornu quod Sanctorum trium Regum fuisse creditur. 18. Colobium Gustavi Adolphi Suecorum Regis. 19. Binæ serpentum exuvix urnarum ferè 30. eorum alter Mauros 5. cum cane, alter Mauros ternos absorbuisset dicitur. Mittimus cætera, & à profanis ad sacra paramus abitum, quæ in tanta etiam habentur abundantia, ut finem non faceremus, si vel leviter singula attingeremus, unde aliqua delibare solum contenti erimus.

Atque ut ab iis, quæ coeli, terræque pretium Salvator noster vel sanguine, vel tactu suo pretiosa effecit, ducamus initium, videtur hic Clavus ferreus, qui dextram Salvatoris Crucis affixit. 2. Altariolum ab externo etiam sumptu, & pretio non æstimabile, un ionibus, Margarithis, Rubinis, & adamantibus ad omnem Majestatem excultum, asservantur in hoc sanguineæ Redemptoris nostri guttæ, pili ex veneranda ejusdem Barba, Spinæ, & Lanceæ, Columnæ, flagellorumque, quibus cruciatus fuit, fragmenta. 3. Magnæ tres Crucis sanctæ particulæ, uti & una de Purpura, altera de sindone cui erat involutus.

Præter has nullo comparandas pretio reliquias aliorum Sanctorum habentur in Thesaurio hoc sacro quàm plurimæ, has tamen inter memorandas duxi sequentes. 1. Aliquot integra Sanctorum Corpora. 2. Particulas sacras ex SS. Apostolorum corporibus, quæ in cuiusvis propria statua ex argento justâ staturâ elaborata asservantur inclusæ. 3. Os brachiale Innocentii XI. 4. Lapis quidam, quo S. Proto-Martyr Stephanus fuit lapidatus. Alias Sanctorum reliquias, quæ copiosissimæ sunt, & auro, argento, gemmisque pretiosis coruscant, non adfero: ternas illas Crucifixi Salvatoris statuas tacere non possum, quæ partim naturæ, partim gratiæ in se continent miracula, eaque Orbi ostentant. Primam in brassica quapiam membris omnibus, capillis, barbâ, &c. & corporis totius Symetriâ absolutam natura protulit, alteram in floribus cujusdam caudice tam aptè, & eleganter efformavit, ut vivere potius, ac ab artis peritissimo Magistro elaborata crederetur. Tertia illa est Salvatoris in ligno expressa Crucifixi

cifixi effigies, quæ Ferdinandum II. orantem, ac contra hostes auxilium implorantem his verbis consolata, & allocuta est: *Ferdinande non te deseram.*

Sculpta hinc quoque asservatur Beatissimæ Virginis statua, quam Æthiops infidelis nescius quid operis perficiat, tam artificiosè elaboravit, ut ad artem, & perfectionem nihil in ea desiderari queat ulterius.

Reperiuntur etiam hoc in thesauro bini raro prodigio in saxum transformati panis libones, quos scœmina quædam neglecto divino Officio, ipso festo S. Annæ die pinsere attentavit.

Referuntur ad sacram hanc Gazam infinita propemodùm auro, argento, unionibus, gemmis, lapidibusque pretiosis insculpta, formata, aut exornata Altariola, Candelabra, Lampades, Calices, Ciboria, Monstrantia, Urceoli, aliique Templorum, & Ecclesiarum ornatus, quæ vel sola enumerata librum implerent, unde his in præsentiarum superfedendum rati ad binos alios memoriâ dignos sacrarum rerum thesauros brevissimè rememorandos transgredimur.

Unus est ille, qui à Matthia Romanorum Imperatore, & Anna Augustissima illius Coniuge RR. PP. Ordinis S. Francisci in novo foro est concreditus, asservatur hic in quodam decente penès Templum majus loco, & non nisi ob reverentiam Reliquiarum accensis luminaribus à linteato sacerdote ostenditur: divisus est in cistas varias, easque capaces, ac à pretio suo, si extrinsecam solum spectes æstimationem, non satis æstimandus: Reliquiæ suis thecis, aut pretiosissimis gemmis, unionibusque distinctis involucris impositæ, ac pientissimæ Imperatricis proprio labore, industriâ, & manibus decoratæ. Præter alia Spinas ex Corona Salvatoris aliquot, ex ejusdem sanguine, &c. quæ in pretiosis ex Jaspide altariolis asservantur, integra Sanctorum Capita, ossa majora, digitos argenteis, aut Crystallinis inclusa capsulis labore, & Margaritis ab eadem Sanctissima Imperatrice exornatis ostendunt. Candelabra item 6. ex Jaspide altitudinis eximie, Monstrantias, Calices, &c. auro, argentoque insignes quàm plurimos, asservatur etiam hic rosarium granis centenis aliquot copiosum, uti & flagrum quoddam, quo in corpus suum præfata Imperatrix desæviebat: horæ aliquot in solo spectando hoc thesauro sunt consumendæ.

Alter Celsissimi & Reverendissimi est Episcopi Viennensis è Comitibus de Harrach, quem in Sacello domestico Domûs in Preineriana platea sitæ summâ veneratione, & cultu asservat: est in hoc quidquid vel de Christi Domini, Matrisque ejus Sanctissimæ, vel Apostolorum, Innocentium Infantum, aut aliorum Sanctorum reliquiis potest desiderari: Thesaurus ob id magis pretiosus, quo certius constat eum & genuinum esse, & miraculo non vulgari comprobatum: nam cum à Serenissimo Saxonie Duce (ab illo enim tam exquisitum munus hanc in Familiam provenit) quibusdam Lutheranis

Prædicantibus, ut reliquias hæc arcis concluderent, cura committeretur, dolo quopiam, an actu particulam quandam Lutheri ex Caligis resectam, ac specialem in capsulam compactam, sacris reliquiis adjunxerunt, quàm unâ cum reliquiis Ducis sigillo munitam Viennam securo itinere transmiserunt. Portatur interim ad Sacellum arca, eumque exhalat fœtorem, qui omnium nares obstrueret, ac totum Sacellum fœdè occuparet, neque evanuit fœtor iste, donec Episcopus ipse cum Clero apertâ arcâ fraudem deprehenderet, & capsulam, cui inscriptum erat: *Ex Caligis D. Martini Lutheri*, unâ cum inclusis quisquiliis combureret, quo facto, & fœtor evanuit, & fragrantissimus odor sacris ex reliquiis emanans Sacellum totum implevit.

In omnibus propè Ecclesiis præcipuè verò Cathedrali exquisitum tam quoad pretiosas reliquias, quàm ornatum, ac vasa aurea, argenteaque thesaurum reperies, quo & Divinus cultus illustrior, & animi intuentium ad Divinam honorandam Majestatem reddantur promptiores, verùm, quia vel ex solo Augustissimi Cæsaris, binisque præfatis sufficienter Viennensis Urbis tam sacræ, quàm profanæ divitiæ, & orta exinde gloria abundè constat, ad alia quæ titulo huic annecti possunt transimus.

Inter hæc primo loco memorandum venit Technophylacium Aulicum, quod in ipsa Aula videri potest, exquisitis picturis potissimùm, aliisque tam auro, quàm argento, ebore, lapidibusque pretiosis rebus celeberrimum, ut vel hoc unicum in thesauri nobilissimi vicem subire, & computari posse videatur. Varia hic multimodis clarissimorum Pictorum, aliorumque Artificum raris prodigiis refertâ, eaque amplissima longâ serie obijciuntur hypocausta, in quibus quidquid vel aspectu jucundum, vel arte mirandum, vel pretio est summum, magnâ voluptate oculerum aspicitur, hinc tam sacræ, quàm profanæ imagines à variis aulis ad nostram hanc transmissæ, quarum levissimæ aliquot millium imperialium pretium transcendunt, plurimæ etiam 30. 40. 50. & plura millia superant: tanta aliæ arte, tali penicillo elaboratæ, ut præter vocem ad vitam nihil aliud desideres, aliud nihil exposcas. Præter imagines, & picturas rarissimas spectanda proponuntur Idola auro, lapidibusque pretiosis expressa, & cultum, habitumque eorum, quæ ab idololatriis diversis in mundi partibus, remotisque terris adorantur, multa item numismata aurea, Cæsarum Romanorum effigies auro, aliisque sumptuoso metallo, aut gemmis cælatæ: Urbes etiam, & munita, quæ vera exprimunt aliorum Regnorum Præsidia, quarum quædam Augustis manibus, & labore ad vivum sunt elaboratæ. Verbo nihil, quantumvis innumera ibi reperies, est, quod suam non mereatur laudem, suam sibi non vendicet æstimationem.

Ad aliud conservatorium amplissimum à Technophylacio, cui ab Ehippiis nomen est impositum, te duco: Videbis hic arte mirâ, majoribus sumptibus, & ingenti pretio, ac ad Cæsarem

Taream exornata pompam Ehippia, lora, stapedes, phaleras, aliūque tam equestrem, quā currulem apparatus, quem vel diversi Imperiorum, & Regnorum Monarchæ ad luxum potiùs, & splendorem, quā usum ordinariū excultum nostram in Aulam dignum Cæsare munus ablegarunt, vel ad pompam, & Majestatem Augustissimi Imperatores fieri curarunt: jacet hic, & nullus suo est argento, aut auro honos, omnia gemmis rutilant, omnia pyropis coruscant, & vel ipsam stëllarum ad invidiam noctem illuminant dispuncti loris, ehippiis, & stapedibus adamantes, ut vel hoc dixisse sufficiat, inestimabilem his unis inesse valorem, ac pretio pretium, quod tempore Salomonis fuisse legimus, obrutum fuisse, ac viluisse.

A loco isto Vastam ingredimur Aulæ Cameram, ubi varia asservantur peristromata, qui-

bus arstanta, tantusque valor; ut sola hæc communi sensu eorum, qui ea coram & viderunt, & stupuerunt, Regni alicujus integri pretium suo pretio adæquent: alia acu picta historias integras, pugnæ, bestias, simillave alia vivis coloribus exhibent, alia filis aureis, argenteis, gemmisque superba oculos intuentium pertrungunt, alia ex holoserico fimbriis aureis locupletata pompam, & Majestatem exhibent non vulgarem.

Taceo alia, eaque quā rarissima, & quā plurima Aulæ Cæsareæ, & vel ideo Urbis Viennensis decora: certum esto, eam esse his in Theauris Viennæ gloriam, cum qua nulla per Orbem Civitas, nullæ exterorum Principum opulentia valeant comparari.

TITULUS XII.

Horti, & loca recreationi assignata.

Magnam olim in sumptuosis extruendis viridariis vim locabat antiqua Nobilitas, eaque iis extruebat impendiis, quæ ad luxum potiùs, & splendorem immoderatum, quā ordinatam relaxationem animi serviebant: miramur adhuc pensiles Babylonis hortos, eosque Orbis prodigiis adnumeramus, dum vel eos mortuis librorum lineamentis videmus adumbratos, easque trabes suspicimus, quibus tanta imposita moles, stratas pavimento arundines asphalto compactas, aquarum receptacula, proceras arbores aurâ quasi sustentatas, amplissimum, & pedes viginti duos spissum latitudine murum stupescimus, verbo machinam tantam testudinibus fultam, opus superimpositum operi dilaudamus, eoque humanum in colendis, aut struendis hortorum formis progressum fuisse ingenium; ut qui oculari eos non probavit experientia, fidem propè abnuat recensenti. Fabula sit, quod de Hesperidum Pomario Poëtæ commemorant, vel de Adonidis Hortensibus del cœis referunt alii, illud certum est Viennensi Floræ areolarum suarum non deesse illicia, sed civitates reliquas in amœnum, ac floridum posse provocare certamen. Et licet inter ipsa Urbis mœnia neque aded copiosa, neque amplitudine suâ vasta possint esse vireta, ea tamen, quæ tum in aula Cæsarea, tum plerisque Religiosorum Cœnobiis, tum privatis Dominorum quorundam palatiis, tum ipsis in Urbis reperiuntur mœniis, ejusmodi sunt, quæ pascere queant virore oculos, odore nares, amœnitate totum hominem recreare. Majores sunt suburbanæ hortorum delicia, quas, quia non minùs ipsi Urbi quā jucundæ, tam gloriosæ, levi pennâ more nostro percurimus, illud obtestantes, ne, si fors prætereamus aliquos, alios commemoremus, id vitio, aut culpæ nostræ, sed

eorum, à quibus id accepimus minùs solerti indagini adscribatur.

Primarios itaque, & tam à rerum varietate, quā Venustate, & Magnificentiâ memoriâ dignos in Suburbis Leopoldinis recensent præ aliis antiquam Cæs. Majest. Favoritam, ut nuncupant, quæ tempore Viennensis Obsidionis vastata quidem, sua tamen adhuc hodie habitæ magnificentia vel ex ipsis ruderibus ostendit argumenta.

In iisdem Suburbis diversis tamen locis sunt horti celebres, Principis de Montecuculi non procul à Prater. Com. Colorado propè perticam vexilli (*Sahnstangen*) Com. de Flasching, penes hortum præfatum. Com. Loschi, &c. Com. Volckra, Com. Zernini ad ripam brachii è Danubio profluentis, in loco, quem intra salices dicunt. Com. de Weissenwolff penes FF. Misericordiæ. Com. de Oetting ad Danubium. Com. de Lamberg ad ripam Danubii, D. de Aichpigl, & Lebenthurn.

In *Rosau* præter alios plures, quos omitimus insignes sunt, & digni calamo Principum duorum unius de Dietrichstein, & alterius Liechtensteinii. Comitum item ab Altheim, Kueffstein, Harrach, Colaldo.

In platea picarum vocata Comitum Dietrichsteinii, Melicensium Præfulis, Aulici, Regique ærarii Præfectorum, unâ cum horto Vorsteriano.

In via Regia Viennensium Episcopi è Comitibus de Harrach, Com. de Paar, Dominorum item ab Albrecht, Hellinger, & Partilotti horti sunt singulares.

In *Widen* præter Augustissimarum Majestatum Favoritam in paucis celebrem, inveniuntur horti alii non pauci, quos tamen inter primatum exercere dicuntur Comitum de Starrhen-